

www.e-rara.ch

Cursus philosophicus monasterii S. Galli

Sfondrati, Celestino

[St. Gallen], anno 1741

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: RRM 234

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-30930>

[Sectio I. -II.]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



TRACTATUS II.

DE

CAUSIS RERUM NATURALIUM.

DAri aliquas Causas rerum, tam certum est, quàm solem existere; ut enim solem lucentem, ita & agentem vides: & sicut cœlum, quod serenum heri illuxit, non nisi ab aliqua Causa spissis, atrisque hodie nubibus obducitur, aut in pluvias solvitur, aut grandinam effundit, aut in tonitrua, & fulmina armatur, ita & aliæ res omnes naturales à suis Causis, in quibus virtualiter sunt, egrediuntur; néque enim seipsis prodeunt, sed, sicut Plato in Timæo ait, *omne quod nascitur, id ab aliqua causa exiisse, necesse.* At verò singulorum effectuum,

P s

qui

qui in coelo, terra, marique visuntur,
Causas nôsse, *hoc opus, hic labor est*, Phi-
losopho tamen ut dignissimus, ita &
felicissimus, accinente Poëtâ Georg. 2.

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas.

Unde etiam inter reliquas Philosophiæ
partes hic, qui de Causis rerum natura-
lium inscribitur, Tractatus facilè Primas
tenet, adeò, ut Philosophus dici haud
mereatur, qui Causas rerum naturalium
ignorat, sicut nec Pictor, quem colorum
mixturæ, nec Medicus, quem morbo-
rum origines, nec Navarchus, quem syr-
tes, & scopuli latent: imò hoc quasi la-
pide lydio verum Philosophum à falso,
velut aurum à scoria, facilè dijudicabis.

SECTIO I.

De Causis in genere.



Uod gemmas in sinu maris piscan-
ti nonnunquam accidere solet,
idem Philosopho naturæ sinus, si-
ve rerum naturalium *causas* scru-
tanti: fallitur uterque, si imperitus rerum,
atque ignarus operi accingatur, altero qui-
dem pro unione vitrum extrahente, altero
au-

autem pro vero falsum colligente. Quapropter, ne simili errore ludaris, præsentí Sectione, *quid*, & *quotuplex* sit *causa*? examinabimus, aliáque nonnulla dabimus, quæ ad notitiam *causarum* in genere vel necessaria, vel proficua videbuntur.

Quæstio I.

Quid, & quotuplex sit Causa? & utrum ad hoc, ut Causa operetur, requiratur, ut existat?

S U M M A R I A.

1. Definitur *causa* in communi, & singulæ definitionis particulæ exponuntur. 2. Dividitur in *materialem*, *formalem*, *efficientem*, & *finalem*. 3. An hac divisio sit *univoca*? 4. Requiritur *causæ* *existentia* ad hoc, ut operetur. 5. 6. & 7. Solvuntur *objectiones*.

RESOL. I. *Causa* in communi benè definitur: *Principium*, quod per se influit esse in aliud.

Dicitur I. *Principium*: quia, etsi non omne principium sit *causa*, omnis tamen *causa* est principium: unde vi hujus particulæ, quæ loco generis ponitur, *causa* convenit cum

cum principijs, quæ non sunt *causæ*; sic v. g. privatio est principium corporis naturalis in fieri, non *causa*, Pater in divinis principium Filij, non *causa*, ut jam supra advertimus, ubi de principijs egimus.

Dicitur 2. *Quod per se influit esse*; requiritur enim ad omnem *causam*, propriè dictam, ut sit principium essendi, ut derivet, & communicet suum esse effectui, & ut effectus à *causa* dependeat: unde per illas particulas à ratione *causæ* excluditur *primò*, *privatio*, quæ nullum esse influit, sed ad generationem solum requiritur ut terminus à quo, qui, cum nihil sit, etiam communicare nihil potest. *Secundò*, *relationes* in divinis; quamvis enim una *relatio* aliam producat, una tamen non pendet ab alia: quia dependentia est nota imperfectionis, quæ in divinis repugnat. *Tertiò*, *conditio*, *applicatio*, & *remotio impediementi*, quæ conducunt quidem ad causandum, sed non influunt in esse, & ideò non sunt *causæ*: sic v. g. inanitas tabulæ conducit pingendæ imagini, non tamen causat, aut pingit; quomodo enim possit, quæ privatio tantum, & nihil est? Dixi: *conducunt quidem ad causandum*; nec enim dicitur *causa* esse in actu primo perfectè, & expedite, ita, ut effectus sequi ex illa possit, nisi positis conditionibus ad agendum

dum necessarijs, ac remotis impedimentis; quis enim dicat, hominem, catenis vin-
ctum, aut podagrâ, vel paralyfi constri-
ctum, habere potentiam currendi expedi-
tam, ita, ut imputari illi possit, ac pœ-
na decerni, si non currat? *Quartò, causa*
per accidens, quæ non influunt esse *per se*
in effectum, sed cum *causis*, *per se* influen-
tibus, *per accidens* reperiuntur conjunctæ:
sic, quando Musicus pingit, imago non
provenit ab illo, ut Musico, sed ut artis
pictoriæ perito, in quo scientia Musicæ
per accidens est conjuncta.

Dicitur 3. *In aliud*: quò significatur;
oportere naturam *causæ* realiter ab effectu
esse distinctam, ideóque influere eam de-
bere *in aliud*, *naturâ*, non tantum *personâ*,
sive supposito distinctum: unde in divi-
nis Pater producit quidem Filium, non
tamen est *causa* Filij; quamvis enim per
generationem communicet esse Filio, non
tamen est principium, quod influit esse *in*
aliud, sive *aliam naturam* (*natura enim Pa-*
tris non distinguitur realiter à natura Filij)
sed tantum *in alium*, sive *aliam personam*,
realiter à *persona* Patris distinctam.

2. Resol. 2 *Causa* est quadruplex, *materia-*
lis, formalis, efficiens, & finalis.

Ratio est; Tum quia, quidquid fit, ab
alio fit, & est *causa efficiens*: propter aliquid
fit,

fit, & est *finalis*: ex aliquo fit, & est *materialis*: in aliquo fit, & est *formalis*, quæ videlicet in subiecto, & materia recipitur. Tum quia ad omnem quæstionem *causæ* respondetur per aliquam ex assignatis *causis*; si enim *primò*, quæatur: *per quid homo est homo?* respondetur per *causam formalem*; quia est rationalis: *per quid homo est albus?* propter albedinem. *Secundò*, si quæatur: *cur homo est corruptibilis?* respondetur per *causam materialem*; quia constat materiâ, vel quia componitur ex contrarijs. *Tertiò*, si quæatur: *cur homo est creatus?* respondetur per *causam finalem*; ut fruatur Deo: *cur milites pugnant?* ut vincant, & dominantur: *cur plerâque amara non nutriunt?* quia medentur: *cur aër per se, & naturaliter nec est sonorus, nec coloratus, nec saporibus, aut odoribus imbutus?* ut sit medium omnes colores, sonos, & odores percipiendi &c. *Quartò*, si quæatur: *unde, & à quo habet homo, quòd sit ens creatum?* respondetur per *causam efficientem*; à Deo: *cur mare fluit, & refluit?* quia cietur, & movetur à luna: *cur argentum vivum in plano solido, & lavi semper agitur, & in particulas scinditur?* quia est calidum, subtile, ac siccum, quæ sunt principia motûs, ac divisionis. Vide S. Thom. in *Opusc.* 31.

- 3 Quæres: An hæc divisio *causæ* sit univoca?
Resp.

Resp. Affirmativè; quia in genere, & ratione causandi, & dandi esse omnes æq̃; conveniunt, nec materia v. g. habet à forma suam virtutem, & influxum passivum: quòd si una *causa* est alià nobilior, v. g. *efficiens* nobilius causat, quàm *materialis*, hæc inæqualitas non derivatur immediate ex ratione causandi ut sic, sed ex taleitate, & differentia *causæ*: sicut homo est animal nobilius bruto, non quà animal, sed quà tale animal, hoc est, rationale, inæqualitas verò, ex differentiis orta, non impedit univocationem.

- 4 Resol. 3. Existencia requiritur ad agendum, & ita *causa*, non existens, non potest operari.

Ratio est 1. Ab experientia; quem enim momordit canis mortuus? aut quem combussit ignis extinctus?

Ratio est 2. Ab actu ad potentiam bona est consequentia, v. g. *ambulat*; ergò *potest ambulare*: sed non esset bona, si, quod non est, posset operari; diceret enim aliquis, actum ambulandi fieri posse, etiam potentiâ ambulandi sublatâ, & non existente; ergò &c.

Ratio est 3. Corrupta, & nondum nata æquè non existunt; si ergò potest agere, quod desijt, poterit etiam, quod necdum est: at hoc est absurdissimum; quomodo

modo enim potest effectus contineri in eo, quod non est! alias & aqua posset contineri in vase, quod non est, sed paulò post fiet: & homo navigare in navi, quæ nondum est, sed paulò post erit.

- 5 *Objic. 1. Cont. 2. Resol.* Objectum, & idea sunt *causa* suorum actuum, & potentiarum: sed hæ non possunt revocari ad prædicta 4. *causarum* genera; ad quod enim? ergò divisio illa non est adæquata, & consequenter mala.

Resp. Neg. min. Et dico: objectum, & ideam reduci ad *causas formales extrinsecas*; objectum enim specificat, idea verò est forma exemplati: reducuntur etiam ad *causas efficientes*; objectum enim per species agit, idea artificem dirigit: de quo infra.

- 6 *Objic. 2. Cont. 3. Resol.* Ad hoc, ut *causa* operetur in instanti B, sufficit eam extitisse in instanti A, immediate antecedenti; ergò existentia *causæ* non requiritur ad operandum. *Ant. prob. à pari*: sol v. g. aut ignis in loco A, potest agere in loco B, immediate contiguo; ergò etiam *causa* potest operari in instanti B, si fuit in instanti A, immediate antecedenti.

Resp. Neg. Ant. Si enim hoc fieri potest, cur nunquam factum est, ut v. g. canis, in instanti A mortuus, in instanti B
latra-

latraverit; ignis, in instanti A extinctus, domum combusserit in instanti B.

Ad prob. Conc. Ant. Neg. Consequent. & Parit. Disparitas est, quia contiguitas supponit, virtutem operandi existere, & ita mirum non est, in locum immediate contiguum diffundi posse: at verò, quando causa non est, etiam virtus operandi non est, & per consequens nec effectus, & operatio esse potest; alioqui sequeretur, posse causam etiam post multos annos, quam corrupta est, operari; tam enim non est, nullamque operandi virtutem habet primo instanti, quò non est, quam post multos annos; sicut ergò ideò non potest operari, quod jam dudum corruptum est, quia tunc nullam habet virtutem operandi, ita etiam non poterit instanti, immediate corruptionem sequenti, quia etiam pro eo instanti nullam virtutem operandi habet: & ideò experimur, canem, in instanti A mortuum, tam non currere, aut latrare in instanti B, quam in alijs post instantibus. Deinde retorquetur objectio de operante in loco contiguo; sol enim v. g. non tantum calefacit in loco immediate contiguo, sed etiam in locis, intra suam sphaeram remotissimis, v. g. in terra, quæ distat à sole miliaribus germanicis duarum horarum nongentis millibus sexaginta

Q

qua-

quatuor millibus trecentis ſexaginta uno, teſte Clavio in *ſphæram c. 1.* hoc eſt, diebus 80363. ſi ergò argumentum, à loco peti- tum, aliquid valet, ſequeretur, poſt tot à corruptione dies poſſe aliquid operari, ſicut poteſt in tanta loci diſtancia agere, quò quid abſurdius?

- 7 *Objic. 3. Cauſa finalis* movet ad operandum, etiam quando non eſt; ſic enim agricola terram colit, & ſemen eidem committit ob ſegetem, quam inde ſperat, quæ tamen nondum eſt; ergò exiſtentia non requiritur ad agendum.

Reſp. Diſt. Ant. Cauſa finalis movet ad operandum, quando *realiter* non eſt, *Conc. Ant.* movet ad operandum, quando etiam *intentionaliter*, & *objectivè* non eſt, *Neg. Ant. & Conſequent.* Quia illud non requiritur; cùm enim *cauſa finalis* agat ut objectum, ſufficit, ut exiſtat *intentionaliter*, & *objectivè*, hoc eſt, ut cognita; cognosci enim poteſt, etiam quod *realiter* non eſt, ut roſa in hyeme.



Quæ-

Quæstio II.

Utrum omnis Causa sit prior, & perfectior suo effectu?

S U M M A R I A.

1. Quid sit prioritas temporis, & naturæ? & an prioritas originis sit prioritas naturæ? 2. Quot modis causa considerari possit? 3. Omnis causa, formaliter talis, & in actu secundo, est prior effectu, non tempore, sed naturâ. 4. Diluitur objectio. 5. Omnis etiam causa, ut causa, perfectior est suo effectu, etsi absolute, & simpliciter non semper sit perfectior.

PRænotand. 1. Prioritatem aliam esse temporis, aliam naturæ: hæc dicitur prioritas à quo, illa in quo. Prioritate temporis id dicitur prius, quod duratione, seu instanti aliquo reali temporis præcedit aliud, in quo realiter existit, altero necdum existente: sic Angelus prior est homine, pater in creatis filio, dispositiones formâ. Prioritate naturæ illud vocatur prius, à quo aliud in suo esse dependet: quò modo sol naturâ prior est luce, & quælibet essentia suis proprietatibus; prioritas ergò originis, quæ est in divinis Personis, non est naturæ, quia non dicit dependen-

tiam; dependere enim dicit indigentiam; & distinctionem naturæ, quæ in divinis non reperitur; quia licet Filius producat à Patre, non tamen eget, aut pendet à Patre, quia est Deus: Deitas autem nec eget, nec ab alio pendet; & quamvis hoc respectu creaturæ mirum sit, imò impossibile, non tamen respectu Dei; si enim Deum esse, eumque infinite perfectum non miraris, nec mirari debes, plures in illo esse productiones, distinctasque Personas (hoc enim ad fecunditatem pertinet, quæ utique magna perfectio est) nec tamen unam ab alia dependentem, unam alterius indigam; hoc enim imperfectionis est, quam in Deo non esse, mirari non debes, imò mirandum esset, aliquam in illo imperfectionem reperiri.

2. Prænotand. 2. Duplici modo considerari causam posse: primò, materialiter, & in actu primo; secundò, formaliter, & in actu secundo. Priori modo accipitur pro entitate illa, quæ causare effectum potest, & in se virtutem causandi habet vel remotè, propter defectum conditionum, quæ ad agendum præviè requiruntur, ut contingit in igne, nondum materiæ ligni, vel stupæ debite approximato: vel proximè, ob earundem conditionum complementum, ut in eodem igne patet, materiæ ligni, unde quaq;
dispo-

dispositæ, sufficienter applicato. Posteriori modo accipitur *causa* pro illa ipsa entitate, quæ causat, sed *reduplicative* tali, quatenus nimirum actu causat, & de facto effectum producit: & de *causa*, hoc posteriori modo acceptâ, Quæstio procedit, si enim *materialiter*, & in actu primo consideretur, dubium nullum est, quin *causa* sæpè non solum *naturâ*, sed & *tempore* sit prior suo effectui. His prænotatis, sit

- 3 Resol. 1. Omnis *causa*, *formaliter* talis, & in actu secundo, prior est suo effectui, non quidem *tempore*, sed *naturâ*. Est communis. Vide S. Thom. q. 28. de verit. a. 7. & Quodlib. 5. a. 19.

Ratio 1. *Partis* patet ab exemplis; *causa* enim *finalis* movet etiam non existens, saltem *realiter*, & sol est *causa* suæ lucis, nunquam tamen *expers* lucis &c. ergò &c.

Ratio 2. *Partis* est; Tum quia *prioritas naturæ* est *independentia* unius ab alio: sed *causa* non dependet ab effectui, sed *econtra*; ergò &c. Tum quia omnis *causa* est principium sui effectûs: sed principium est *essentialiter*, & *naturâ* prius suo principiati; ergò & omnis *causa* *essentialiter*, & *naturâ* prior est suo effectui, si nimirum *formaliter* talis sit, & in actu secundo.

- 4 Dices: *Causa*, ut *causa*, dicit respectum transcendentalem ad effectum; ergò *causa*,

ut *causa*, non minùs dependet ab effectu; quàm effectus à *causa*. (relatio enim transcendentalis consistit in ejusmodi dependentia, & connexione unius cum alio) & consequenter *causa*, ut *causa*, non est prior suo effectu, sed simul.

Resp. Dist. Ant. *Causa*, ut *causa*, dicit respectum transcendentalem ad effectum, ut possibilem, Conc. Ant. dicit respectum transcendentalem ad effectum, ut existentem, Neg. Ant. Dist. etiam Conseq. ergò *causa*, ut *causa*, dependet ab effectu, ut existente, Neg. Consequent. dependet ab effectu, ut possibili, subdist. dependet dependentiâ objectivâ, & simultaneâ tantùm, Conc. Consequent. dependet dependentiâ causalitatis, & naturæ, Neg. Consequent. Quamvis enim *causa*, ut *causa*, dicat respectum transcendentalem ad effectum, & consequenter ab hoc, ut termino, & re possibili, dependeat, non tamen quoad existentiam, & illa dependentia *causæ* ab effectu non est causalis, & naturæ, sed tantùm objectivâ, & simultaneâ; tam enim effectus supponit possibilitatem *causæ*, quàm *causa* possibilitatem effectûs.

§ Resol. 2. Omnis etiam *causa*, reduplicativè, & formaliter talis, est perfectior suo effectu, etsi entitativè, sive simpliciter, & absolute non semper sit perfectior.

Ratio 1. Partis est; Quia perfectius est,
dare

dare esse, quàm accipere, non dependere, quàm dependere : sed *causa*, reduplicativè, & *formaliter* talis, dat esse effectui, effectus verò non dat, sed accipit esse à *causa*, & ab ea dependet, non illa ab effectui; ergò *causa*, reduplicativè, & *formaliter* talis, semper est perfectior suo effectui.

Ratio 2. *Partis* patet ab inductione; sic enim primò, *causa* materialis causat formam, eam sustentando, & tamen est multò ignobilior formâ: idem dicas de *causis* disponentibus. Vide S. Thom. 1. 2. q. 66. a. 6. ad 3. & q. 7. de verit. a. 7. ad 1. Secundò, *causa* formalis, seu forma causat, seipsam materiæ communicando, & ita quoad hunc præcisè effectum non est nobilior, & perfectior, sed ejusdem perfectionis. Tertiò, *causa* efficiens, si sit univoca, non excedit perfectione effectum; quia huic totam suam perfectionem communicat, imò fieri potest, ut effectus evadat perfectior individualiter suâ causâ; sicut cùm turpis formosum, æger sanum generat: qui tamen excessus perfectionis in aliam causam reducitur, v. g. temperamentum matris, aspectum cœli, salubritatem auræ &c. *Causa* tamen æquivoca est suo effectui perfectior; quia effectum non formaliter, sed eminenter continet. S. Thomas 1. p. q. 4. a. 2. ad 3. Quartò, *causa* finalis sæpè etiam est suo effe-

ctu imperfectior, ut cum nobilissimæ actiones humanæ vilissimo fini, pecuniæ v. g. voluptati, vindictæ impenduntur: cum ordinatè tamen agitur, finis nunquam est ignobilior, aut imperfectior suo effectu, & medijs: finis verò ultimus semper perfectior.

Quæstio III.

Utrum idem numero effectus possit à duabus causis totalibus, & adæquatè distinctis produci?

SUMMARI A.

1. *Premissâ divisione causæ in totalem, & partialem, ejusdem, & diversi generis, & ordinis, exponitur status Quæstionis. 2. Ostenditur, eundem numero effectum à duplici causa totali diversi generis, & ordinis tam divisivè, quàm copulativè produci posse. 3. 4. & 5. Non item à duplici causa totali ejusdem generis, & ordinis, nec divisivè, nec copulativè. 6. 7. & seqq. Solvuntur objectiones.*

PRænotand. Causam aliam esse totalem, & adæquatam, aliam partialem, & inadæquatam. Illa totum esse effectui communicat, ut dum equus se solo currum trahit:

Hæc

Hæc verò tantum aliquam partem effectui communicat, sive deinde sufficientem habeat virtutem communicandi totum esse effectui, sive non, sicut cum duo equi eundem currum trahunt, singulis equis non totum effectum, sed partem tantum aliquam producentibus. *Causæ totales*, & *adaquate* vel sunt *eiusdem*, vel *diversi generis*, & *ordinis*. *Causæ* eiusdem generis sunt, quæ eodem modo influunt in effectum, ut duæ *causæ efficientes*, duæ *causæ finales*. *Causæ* diversi generis sunt, quæ diverso modo influunt in effectum, ut si una sit *materialis*, altera *formalis*, una influat in genere *causæ efficientis*, altera in genere *causæ finalis*. *Causæ* eiusdem ordinis sunt, quarum utraque est *universalis*, vel *particularis*, *naturalis*, vel *supernaturalis*. *Causæ* diversi ordinis sunt, quarum una est *universalis*, altera *particularis*, una *naturalis*, altera *supernaturalis*, una *creata*, altera *increata*. His præmissis, Quæritur, an idem numero effectus possit produci à duplici *causæ totali*, & *adæquatè distinctâ*, *eiusdem*, vel *diversi generis*, & *ordinis*, & hoc vel *divisivè*, vel *copulativè*? hoc est, an idem numero calor v. g. qui producitur ab igne B, etiam à solo igne A, vel à solo Deo, vel simul, & semel ab igne A, & B, vel simul à Deo, & igne B, procedere possit? Varij variè loquuntur. Nostra sit

Q

Resol.

2. *Resol. 1. Idem numero effectus potest à duplici causa totali diversi generis, imò & ordinis, quarum una est creata, altera verò increata, tam divisivè, quàm copulativè produci: & ita poterit idem numero calor v. g. qui producitur ab igne B, etiam à solo Deo, imò simul, & semel à Deo, & igne B adequatè procedere.*

Ratio 1. Partis quoad causas diversi generis patet in productione ignis v. g. materia enim est causa totalis materialis, forma verò est causa totalis formalis, & ita de reliquis; ergò &c.

Ratio 2. Partis quoad causas diversi ordinis, divisivè acceptas, est; Tum quia idem numero homo, qui à parentibus genitus est, solâ divinâ virtute reproducetur, & resurget. Tum quia omnes differentiae tam numericæ, quàm specificæ sunt ens reale, & aliqua perfectio: sed omnis realitas, & perfectio continetur in Deo eminenter, tanquam in idea, matrice, & vena totius entis: sicut omnis numerus virtualiter continetur in unitate, & omnes radij, in stellas derivati, continentur in sole; consequenter omnis effectus, qui à causa creata productus est, etiam à solo Deo quoad omnes ejus differentias tam numericas, quàm specificas produci potest.

Ratio 3. Partis quoad causas diversi ordinis,

nis, copulativè acceptas, est; Quia effectus creatus, ut dictum, secundum totam perfectionem, & realitatem suam in Deo continetur; ergo sicut totus est à causa secunda, ita totus etiam est à Causa prima, hoc est, Deo &c.

- 3 Resol. 2. Implicat, ut idem numero effectus divisivè procedat à duplici causa totali ejusdem generis, & ordinis, v. g. non potest idem numero calor, productus ab igne A, produci, aut productus fuisse ab igne B.

Ratio est 1. Autoritas S. Thomæ Quodlib. 3. a. 25. & Quodlib. 5. a. 8. ubi ait: impossibile est, eundem filium nasci, sive sit alius pater, sive alia mater: sicut etiam non est idem numero sigillum, sive sit alia cera, sive sit aliud corpus sigilli, ex cuius impressione cera sigillatur.

Ratio est 2. Non potest esse idem numero effectus, in quo sunt prædicata, necessario, & essentialiter distincta à prædicatis alterius: sed calor, productus ab igne A, habet prædicata, essentialiter, & necessario distincta à calore, producto ab igne B; ergo non potest esse idem numero calor, ab igne A, & B productus. *M. est cert. a. min. prob.* Quia calor, ab igne A productus, necessario ab hoc igne A pendet, & non pendet necessario ab igne B, à quo non est productus: & econtra calor, productus ab igne B, necessario ab hoc

hoc pendet, & non ab igne A, à quo productus non est; ergò calor, productus ab igne A, habet prædicata, essentialiter, & necessario distincta à calore, producto ab igne B, & consequenter non potest esse idem numero calor ab igne A, & B productus; quomodo enim idem est, si non habet eandem, sed contradictoriè distinctam dependentiam?

¶ Dices: Ex hoc sequitur, quòd nec idem numero effectus *divisivè* produci possit à duplici *causa totali diversi ordinis*, alterà *creatâ*, alterà verò *increatâ*, quia non haberet eandem numero dependentiam, quod supra dictis repugnat; ergò &c.

Resp. *Neg. sequel. cum ejus prob.* Si enim calor, ab igne A productus, produceretur à solo Deo, adhuc haberet eandem numero dependentiam, quia causalitas ignis A, cum sit perfectio, & realitas, tota, & *eminenter* continetur in Deo, tanquam in pelago totius entis, & realitate omnium realitatum &c. Unde

Ratio est 3. Ut una *causa* possit eundem numero effectum producere, quem produxit alia, continere debet vel *eminenter*, vel *virtualiter* eundem numero effectum, quem altera continet: sed una *causa* creata non potest continere vel *eminenter*, vel *virtualiter* eundem numero effectum, quem

quem altera continet; ergò nec producere potest eundem numero effectum, quem altera produxit. *M. est certa. min. prob.* Ut una causa possit continere eundem numero effectum, quem altera continet, necessariò debet continere aliam virtutem causativam, numericè distinctam: sed una causa creata non potest continere aliam virtutem causativam, numericè distinctam; quia sic unum individuum creatum contineret *eminenter* aliud individuum, ejusq; differentiam numericam, quod impossibile est, alioqui Petrus posset *eminenter* esse Paulus; ergò &c.

¶ Resol. 3. Non potest etiam idem numero effectus à duplici causa totali, & adæquata ejusdem generis, & ordinis copulativè procedere. S. Thomas 1. p. q. 52. a. 3.

Ratio est; Non possunt eidem numero rei convenire prædicata contradictoria: sed, si idem effectus à duplici causa totali, & adæquata ejusdem generis, & ordinis copulativè procederet, convenirent eidem numero rei prædicata contradictoria; ergò id fieri non potest. *M. est certa. min. prob.* Essentialiter, & necessariò dependere, & non dependere ab hac numero causa, sunt prædicata contradictoria: sed hæc eidem numero effectui convenirent, si à duplici causa totali, ejusdem generis, & ordinis copu-

lati-

lativè procederet; ergò &c. *min. prob.* Ponamus in eodem indiviſibili loco (hoc enim divinitùs fieri poteſt) duos ignes A, & B, quorum uterque incendat feſtu-
cam, debite applicatam: combuſtio, ſeu ignis, in feſtuca productus, ſi cauſatur ab igne A, eſſentialiter, & neceſſariò ab eo pendet, hoc enim eſt cauſari; ergò non poteſt eſſe ſine igne A (ſicut quia viſio eſſentialiter pendet à vita, non poteſt eſſe ſine vita) ergò non cauſatur, & totum ſuum eſſe accipit ab igne B; ſi enim totum ſuum eſſe haberet etiam ab igne B, non indigeret igne A, nec conſequenter ab eo penderet; ſicut ſi crumena aureis impleatur unâ manu, non indiget, nec poteſt impleri alterâ manu: ſi verò non indiget, nec pendet ab igne A, quomodo ab iſto cauſatur? ergò &c.

- 6 *Objic. I. Cont. 2. Reſol.* Quod continet eandem numero virtutem productivam, poteſt eundem numero effectum *diviſivè* producere: ſed quilibet leo v.g. aut ignis continet eandem numero virtutem productivam; ergò quilibet leo v.g. aut ignis poteſt eundem numero leonem, aut ignem *diviſivè* producere, & conſequenter non implicat, ut idem numero effectus procedat à duplici *cauſa totali ejusdem ordinis, min. prob.* Quod habet eandem

naturam specificam, etiam habet eandem numero virtutem productivam: sed quilibet leo, aut ignis habet eandem naturam specificam; ergo & eandem numero virtutem productivam; ergo leo A, aut ignis A, habens naturam specificam leonis, aut ignis, poterit quodlibet individuum leonis, aut ignis producere, etiam eum, qui à leone, aut igne B, vel C productus est; sunt enim leones, & ignes paris virtutis: cur ergo non possit quilibet leo, aut ignis à quolibet produci?

Resp. Conc. M. Neg. min. ad prob. Neg.

M. Nec enim natura specifica v. g. leonis, aut ignis A est productrix omnium individuum intra eandem speciem, quia effectus, ut est individuum, dicit essentialiter dependere à causa, per quam productus est, & non dependere à causa, à qua productus non est; calor ergo, productus ab igne A, essentialiter ab hoc dependet, & non ab igne B; ergo non potest esse idem numero cum calore, qui produci-
tur, & dependet ab igne B. Vide S. Thomam 1. p. q. 45. a. 5. ad 1. & ideò etiam sol, quamvis contineat totam speciem caloris, non potest tamen eundem numero calorem producere, qui ab igne produ-
ctus fuit.

7 Objic. 2. Constat experienciâ, idem
cada-

cadaver bovis produci, à quocunque ma-
ctetur: & duo motus locales terminantur
ad eundem numero terminum extrinſe-
cum; ergò poteſt idem numero effectus
diviſivè procedere à pluribus cauſis ejusdem
generis, & ordinis.

*Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſequent. & Pa-
rit.* Quia cauſa eſt principium per ſe influ-
ens eſſe in effectum: mactans verò non
eſt cauſa per ſe formæ cadavericæ, ſed tan-
tùm per accidens; quia tollit, quæ ſunt vitæ
neceſſaria, ex quo ſequitur forma cadave-
rica, ſive à coelis, ſive à Deo, ſive ab ele-
mentis, ſive aliunde generetur: ſic etiam
motus localis non eſt productivus loci
extrinſeci, quemadmodum cauſa eſt pro-
ductiva ſui effectûs.

8 *Objic. 3.* Idem calor in aqua, ab igne
A productus, poteſt conſervari ab igne
B; ergò & produci. *Conſequent. patet*; quia
ſapè difficilius eſt conſervatio productio-
ne; arbor enim v.g. producit pomum,
quod tamen non poteſt conſervare.

Reſp. Diſt. Ant. Idem calor &c. poteſt
conſervari conſervatione per ſe, & propriè
dictâ, *Neg. Ant.* poteſt conſervari conſer-
vatione per accidens, & impropriè dictâ, *Conc.*
Ant. Neg. Conſequent. Aliud eſt enim pro-
ducere, aliud rem productam per accidens,
& impropriè conſervare: calor autem in
aqua,

aqua, ab igne productus, conservatur conservatione non *per se*, & *proprie* dictâ, sed *per accidens* tantum, & *improprie*, removendo qualitates contrarias, & inducendo alias similes.

- 9 Objic. 4. *Cont. 3. Resol.* Si ponatur ignis A, & B in eodem loco, uterque aget ut *causa totalis*, & uterque conjunctim festucam incendet; ergo possunt duæ *causæ totales ejusdem generis*, & *ordinis copulative* producere eundem numero effectum. *Ant. prob.* Quia conjunctio non minuit virtutem agendi; cur ergo non possit uterque, & conjunctim festucam incendere, quam potest quilibet separatim?

Resp. Dist. Ant. uterque aget ut *causa totalis in actu primo*, *Conc. Ant.* uterque aget ut *causa totalis in actu secundo*, *Neg. Ant. ad prob. Conc. Ant. Neg. Consequent.* Id enim fieri non potest, non ex defectu virtutis activæ, quæ in ignibus est, sed propter implicantiâ effectûs, quia alioquin ab eadem *causa* penderet, & non penderet, ut dictum est.

- 10 Objic. 5. Potest quis idem opus duplicis finis intuitu perficere, v. g. ambulare gratiâ sanitatis, & recreationis, ita, ut, posito quolibet fine, æq; actio sequatur, ac posito utrôque; ergo idem effectus simul,

R

&

& ſemel produci poteſt à duplici cauſa totali ejusdem generis, & ordinis.

Reſp. *Diſt. Ant.* Poteſt quis idem opus duplicis finis intuitu perficere, ita, ut uterque finis reſpectu operis ſe habeat per modum cauſæ tantum partialis, *Conc. Ant.* ita, ut uterque finis reſpectu operis ſe habeat per modum cauſæ totalis, *Neg. Ant. & Conſequent.* Patet enim, voluntatem magis à duplici fine, quàm uno excitari, moverique; ergò ſignum eſt, non eſſe totum effectum, & voluntatem ab uno fine.

11 *Objic. 6.* Plures ſacerdotes, ſimul proferentes verba Baptiſmi, conficiunt unum numero Baptiſma; S. Thomas 3. p. q. 67. a. 6. ergò idem numero effectus procedere poteſt à duplici cauſa totali, & adæquatè diſtinctâ &c.

Reſp. *Conc. Ant. Neg. Conſequent.* Quia plures ſacerdotes in hoc caſu tantum concurrunt, ut instrumenta unius divinæ, & increatæ virtutis, cui ſubordinantur, & ita effectus procedit non à duabus cauſis totalibus, ſed ab una tantum, eadèmq; virtute divina, pluribus instrumentis communicatâ. Vide S. Thomam 3. p. q. 82. a. 2. ad 2. ubi de pluribus ſacerdotibus celebrantibus, & verba conſecrationis ſimul proferentibus, quid ſentiendum ſit, his verbis declarat: *Dicendum, inquit, quodd, ſe qui-*

quolibet sacerdotum operaretur virtute propria
superfluerent alij celebrantes, uno sufficienter ce-
leberrante : sed quia sacerdos non consecrat, nisi
in persona Christi, multi autem sunt unum in
Christo ; ideo non refert, utrum per unum, aut
per multos hoc Sacramentum consecratur.

Quæstio IV.

*Utrum Cause sint sibi mutuò
Cause?*

S U M M A R I A.

1. Explicatur status Quæstionis. 2. Rejicitur
mutua causalitas in eodem genere causandi. 3. Ad-
mittitur tamen in diverso genere causandi, sed
non secundum idem, & sub eodem respectu. 4. 5.
& seqq. Solvuntur objectiones.

1. **P**Rænotand. In aliquo sensu certissimum
esse, causas sibi invicem esse causas ; hoc
enim tradit Aristoteles 2. Phys. text. 30. &
3. Metaph. text. 2, ubi D. Thomas : at quò
sensu id verum sit ? non adeò perspicuum
esse, videtur : proinde, ut clariùs præsen-
tis Controversiæ statum intelligas, scire
oportet, ex dictis quatuor causis duas sem-
per sibi mutuò correspondere, videlicet
materiale formali, & efficientem finali, ut
docet S. Thomas 3. Metaph. lect. 2. effi-

ciens enim est principium motûs, finis verò terminus: forma dat esse materiæ, illa verò recipitur in materia: terminus autem, & principium, dare, & accipere sibi correspondent. Quæritur ergò, an inter causas tum ejusdem, tum diversi generis detur mutua causalitas quoad primum esse? hoc est, an duæ causæ in eodem, vel diverso genere causandi se mutuò quoad primum esse producere possint, ita, ut causa accipiat suam existentiam primam ab effectu, & vicissim effectus à causa?

2 Resol. 1. Non possunt duæ causæ in eodem genere causandi sibi mutuò esse causæ quoad primum esse.

Ratio est 1. Autoritas expressa S. Thomæ, qui loco mox citato, videlicet 5. *Metaph. lect. 2.* ita loquitur: *Dicit (Aristoteles) quòd etiam contingit, quòd aliqua duo ad invicem sibi sunt causæ, quod impossibile est in eodem genere causæ.*

Ratio est 2. Implicat, idem esse prius seipso: sed, admissâ inter causas ejusdem generis mutuâ causalitate, idem esset prius seipso; ergò implicat mutua causalitas inter causas ejusdem generis. *M. est certa. min. prob.* Quod est causa sui ipsius, est prius seipso: sed, admissâ inter causas ejusdem generis mutuâ causalitate, idem esset causa sui ipsius; ergò &c. *min. prob.* Quod est causa

causa, est *causa* causati: sed idem esset *causa* *causa*; ergò idem esset *causa* causati, hoc est, sui ipsius, quod implicat, ut dixi; inter *causam* enim, & effectum, produciens, & productum intercedere debet quædam distinctio, & oppositio realis.

3 Resol. 2. Dux *causa* in diverso genere causandi possunt sibi mutuò esse *causa*, non tamen secundum idem, & sub eodem respectu.

Ratio 1. *Partis* est; Ubi datur mutua dependentia, ibi datur mutua causalitas: sed inter *causas* diversi generis datur mutua dependentia; ergò & mutua causalitas. *M. patet. min. prob.* Nam primò, forma materialis dependet à materia; educitur enim ex materia, & à materia sustentatur, nec potest naturaliter extra, & sine materia existere; dependet ergò in esse, & consequenter causatur à materia: & econtrà materia dependet à forma; quia accipit suum esse, & informari à forma; hæc enim dat materiæ existentiam; ergò dependet, & consequenter causatur à forma. Secundò, *causa efficiens* dependet à *finali*; finis enim excitat ad agendum, v. g. sanitas ad ambulandum, divitiæ ad navigandum: & econtrà *finalis* dependet ab *efficiente*: ambulatio enim causat sanitatem. Vide S. Thomam 2. *Phys. lect. 2. & 5. Metaph. lect. 2.* R 3 Ra

Ratio 2. *Partis quoad causam materiale,*
 & *formalem paret*; illam enim perfectionem, quam forma præbet materiæ, non habet à materia, nec econtrà. Quoad causam verò efficientem, & finalem probatur: quia causa efficiens non dependet à finali quoad esse, sed tantum quoad operari, ejusque causalitatem; finis enim, ut dixi, movet, & excitat ad agendum; econtrà finalis dependet ab efficiente quoad esse; ambulans enim, & ipsa ambulatio causant realitatem, & entitatem ipsius sanitatis; unde & Aristoteles 2. *Phys. text. 30.* ait: sunt præterea, quæ sunt sibi mutuò causæ, ut exercitium bonæ valetudinis, & hæc exercitij: at non eodem modo, sed hoc, ut finis, illud, ut principium motus.

4. *Objic. 1. Cont. 1. Resol.* Multæ sunt experientia, quæ mutuam causalitatem in eodem genere causandi evincere videntur; nam primò, cum ventus fenestram aperit, & ingreditur, ingressus venti causat apertionem fenestræ, & apertio fenestræ causat ingressum venti; nec enim, nisi aperta fenestrâ, ingredi posset. *Secundò*, duo carbonēs, & manus conjunctæ mutuò se foveant, & calorem conservant, & ideo calorem diutius conjunctæ retinent, quàm separata. *Tertiò*, duo baculi erecti, quorum alter in alterum incumbit, se mutuò sustinent, & ita sustentatio baculi A est

causa sustentationis baculi B, & sustentatio B est *causa* sustentationis A. *Quartò*, in curru motus unius rotæ est *causa* facilitans motum rotæ alterius, & ita, unâ cessante, aliæ difficilius volvuntur. *Quintò*, impulsus violentus, lapidi impressus, causat ejus motum sursum, & idem motus conservat impulsus, qui propterea, motu impedito, statim vanescit. *Sextò*, piper stomachum calefacit, & stomachus piper, imò dissolvit, & digerit &c. ergò possunt duæ *causæ* ejusdem generis sibi mutuò esse *causæ*.

Resp. *Neg. Ant.* Ad exempla adducta dico: rudi quidem plebeculæ mutuam in ijs apparere causalitatem, at non Philosophis, quorum est, *causas* rerum naturalium investigare, & invenire, inventas verò alijs tradere. *Experientiæ* ergò illæ, etsi mutux causalitatis verisimilitudinem habere, & v.g. ingressus venti apertionem fenestrix, & apertio fenestrix ingressum venti &c. in *vulgari* sensu se mutuò causare videantur, *proprie* dicta tamen inter hæc, & similia causalitas non est; cum sint *vel* meræ tantum conditiones, *vel* sibi mutuò tantum impedimenta &c. non *causæ*, *proprie* dictæ, influentes in *eodem* genere in se mutuò quoad primum esse, ut examinanti patebit.

§ *Objic. 2. Cont. 1. Part. 2. Resol. Si causa materialis, & formalis possunt sibi mutuò esse causæ, ergò etiam causa efficiens poterit effectum producere, & in eodem instanti à suo effectui produci; æquè enim materia, & forma sunt causæ realiter causantes, ac causa efficiens: sed hoc est falsum; quia, si hoc admittis, unde probabis, Deum, hoc est, ens improductum, à quo omnia existere? dicet enim aliquis, causam v. g. cœli productricem in eodem instanti esse à cœlo productam, & ita nec ens improductum, nec Deum dari; ergò causa materialis, & formalis non possunt sibi mutuò esse causæ.*

Resp. Neg. sequel. M. & Parit. Disparitas est, quia causa efficiens, cùm producit suum effectum, v. g. calorem, facit calorem existere; ergò in instanti, quò producit, jam existit (si enim non existit, quomodo effectui dabit existentiam, quam non habet?) ergò non potest existentiam ab effectui accipere, quam effectui dedit. At verò materia, cùm recipit formam, non dat formæ existentiam (hanc enim potius à forma recipit) sed tantum recipi, & sustentari, quæ receptio, & sustentatio, ut est actus respondens potentiaæ receptivæ, & sustentativæ, est à sola materia, non à forma; hæc enim non est ra-

dix

dix sustentandi, & recipiendi, sed tantum actuandi. Formam ergò esse in materia, duo dicit, videlicet, formam existere, & recipi: hoc est à materia, quia dicit potentialitatem: illud à forma, quia dicit actualitatem. Deinde, cum forma non existat (nisi ut quo, hoc est, ut radix existendi) sed totum compositum, non oportet, ut materia, causans formam, præsupponatur existens: secùs in causa efficiente; quæ dat effectui existentiam, & ideò præsupponi debet existens, nec potest existentiam ab effectui accipere, cum illam jam habeat.

- 6 Objic. 3. Si materia causat formam, & forma materiam, sequitur, quòd materia causet seipsam: sed hoc implicat; ergò & illud. *Sequel. M. prob.* Quod est causa suæ causa, est causa causati, id est, sui ipsius: sed materia esset causa suæ causa, scilicet formæ; ergò esset causa causati, hoc est, sui ipsius.

Resp. Neg. sequel. M. ad prob. Dist. M. Quod est causa causa, in eodem genere, & sub eadem ratione causantis, quâ illa causat, est causa causati, *Conc. M.* quod est causa causa, in diverso genere, & sub diversa ratione causantis, quam illa causet, est causa causati, *Neg. M. Dist. min.* sed materia esset causa suæ causa, scilicet formæ, in diverso genere,

& sub *diversa ratione* causantis, quàm illa causet, *Conc. min.* esset *causa suæ causæ*, in eodem genere, & sub *eadem ratione* causantis, quàm illa causat, *Neg. min. & Consequent.* Materia enim causat, formam sustentando, forma materiam informando, & actuando: actuare autem non habet forma à materia; ergò forma non causat materiam per aliquid, à materia acceptum; ergò forma causat materiam, non ut à materia est causata, & ideò materia non est *causa* sui, nec à se causatur; quia sub *ea ratione*, quàm causat formam, non causatur à forma: sicut Deus est *causa* liberi arbitrij, hoc verò *causa* peccati: sed Deus non est *causa* peccati; quia arbitrium non causat peccatum sub *ea ratione*, quàm conditum à Deo est, sed sub alia, quàm conditum à Deo non est, videlicet per recessum, & defectum à Deo, ejusque voluntate.

- 7 Objic. 4. Si materia causat formam; & forma materiam, sequitur, in *causis* circulum dari vitiosum; forma enim causat materiam, & materia formam: imò contradictionem; materia enim, dum realiter causat, supponitur existens, & dum causatur, supponitur non existens; quod enim causatur, accipit existentiam, quam nondum habebat: sed circulus vitiosus in *causis* admitti non potest, multò minùs contradictioni.

tradiçtio; ergò materia non potest causare formam, & forma materiam.

Resp. *Neg. sequel. M. quoad utrumq; membr.*
Nam *primò*, non omnis circulus est vitiosus; quid enim aliàs tot cœlestes, stellares generationum, & corruptionum circuli facerent? sicut ergò, quòd eadem circuli figura in idem punctum redeat, à quo cœpit, non est vitium, sed perfectio naturæ, & ideò circularis figura est omnium perfectissima; ita non est vitium, sed perfectio naturæ, cùm *causæ* in se redeunt per mutuam causalitatem; solus ergò ille circulus est vitiosus, qui causat ignorantiam, & confusionem, hoc est, cùm idem per idem explicatur, ut si quærenti, ubi sit Nili origo? respondeas, in montibus lunæ; & quærenti, ubi sint montes lunæ? respondeas, ubi est Nili origo. Nec etiam *secundò*, ex mutua causalitate sequitur contradicçtio; materia enim causans supponitur existens, quòd enim instanti causatur, utique est, nam causari est esse, & ideò, quod nondum causatur, nondum est.

- § Objic. 1. Non potest idem simul esse prius, & posterius: sed, si materia causat formam, & hæc materiam, materia erit prior simul, & posterior formæ; erit enim prior: quia *causa* naturæ prior est causato, mate-

materia autem cauſat formam; & non erit prior, ſed poſterior: quia cauſatur, & idem dicas de forma; unde hæc mutua cauſalitas duplicem contradictionem involvit.

Reſp. Diſt. *M.* Non poteſt idem ſimul eſſe prius, & poſterius ſub *eadem ratione*, & in *eodem genere cauſæ*, *Conc. M.* ſub *diuerſa ratione*, & in *diuerſo genere cauſæ*, *Neg. M.* Diſt. *min.* ſed, ſi &c. materia erit prior ſimul, & poſterior formâ ſub *diuerſa ratione*, & in *diuerſo genere cauſæ*, *Conc. min.* ſub *eadem ratione*, & in *eodem genere cauſæ*, *Neg. min. & Conſequent.* Materia enim ſub *ea ratione*, quâ cauſat, ſemper eſt prior: quia ſub *ea ratione* nunquam cauſatur; cauſat enim ut pura potentia ſuſtentando, & recipiendo, & ut ſic non cauſatur à forma; hæc enim eſt actus, & ideò non inſluit in materiam eſſe potentiale, & ſuſtentativum: ſicut albedo non poteſt eſſe ratio denigrandi, vel congregandi viſum; ſub *alia ergò ratione*, & in *diuerſo genere materia* cauſat, & cauſatur, eſt prior, & poſterior, in quo nulla eſt contradicção: ſicut animalitas, ut rationalitati identificata, eſt ratio conveniendi cum bruto, & non conveniendi, in quo nulla eſt contradicção; quia hoc fit ſub *diuerſo reſpectu*; ſi ergò ſola diſtinctio *virtualis*, qualis eſt inter

ter animalitatem, & rationalitatem, fundat
diversos respectus, & impedit contradi-
ctionem, quantò magis distinctio *realis*,
qualis est inter potentiam, & existentiam
materiæ?

- 9 Objic. 6. Si materia causat formam, &
causatur à forma, sequitur, illam existere,
& non existere: sequela implicat; ergò
& illud, ex quo ista deducitur. *Sequel. M.*
prob. Nam *primò*, existeret: quia omnis
causa, realiter causans, causat ut existens:
secundò, non existeret: quia reciperet exi-
stentiam à forma; ergò existeret, & non
existeret.

Resp. Neg. sequel. M. ad prob. Dist. Ant.
quoad 1. membr. omnis *causa*, realiter cau-
sans in genere *causa efficientis*, causat ut exi-
stens, *Conc. Ant.* quia dat effectui existen-
tiam, & ideò non potest existentiam ab
effectu recipere: omnis *causa*, realiter cau-
sans in genere *causa materialis*, causat ut exi-
stens, *Neg. Ant.* *Causa* enim *materialis* cau-
sat, ut recipiens existentiam, quia est pu-
ra potentia, & causat ut potentia: poten-
tiæ autem, quæ tali, non convenit, actum
dare, sed tantum recipere; materia ergò
existit quidem, dum causat, sed non cau-
sat ut existens: sicut animalitas in homine
est quidem rationalitas, sed ut animalitas
non est principium, & radix ratiocinandi,

S E C T I O II.

De Causa Materiali, Formali, & Efficiente in genere.

ROrtu *causarum naturalium in genere* enavigato, liberius jam in altum *causarum particularium* provehimur, tamdiu in eo vela facturi, dum ad portum denique perveniamus. Neque enim, pyratarum more, obvios quosque, aut jam hos, jam illos naturæ sinus excutimus, sed eò duntaxat, & ad ea, inter infinita alia, eluctabimur, quæ Philosophum de tot velificantis ex adverso naturæ mercibus comprehendisse & expediat, & delectet. Licet porro *causa materialis*, & *formalis* dignitate *efficienti*, & *finali* cedant; quia tamen intrinsecæ rerum naturalium *causæ* sunt, prius de his, tum de *causa efficiente in genere*, quæ scitu digna videbuntur, extremis tantum, ut ajunt, digitis attingemus, ea postmodum, quæ *in specie* sequentur, totis manibus tractaturi.

Quæ-

Quæstio I.

*Quid sit Causa Materialis, &
Formalis? & quæ utriusque
causalitas?*

S U M M A R I A.

1. & 2. Exposito statu Quæstionis, definitur *causa materialis*, & *formalis*. 3. & 4. Utriusque *causalitas* tam in actu primo, quàm in actu secundo, tam in fieri, quàm in facto esse quæ sit, ostenditur. 5. Quis sit effectus *causæ materialis*, & *formalis*?

PRænotand. Materiam, & formam duplici modo considerari posse: primo, ut principia: secundo, ut causas: ut materia est subiectum, ex quo omnia fiunt, dicitur principium: ut verò constituit compositum unà cum forma, quam recipit, & sustentat, dicitur *causa*: & idem dicas de forma; ut enim est terminus, ad quem fit transitus, est principium: ut verò constituit compositum unà cum materia, quam informat, & actuat, est *causa*: unde solâ ratione, & per diversos respectus *causa materialis* distinguitur à materia, & *formalis* à forma, realiter enim idem sunt. Hoc prænotato, quæritur, quid sit materia, &
for-

forma, ut ſunt cauſæ, verè, & realiter cauſantes? & per quid conſtituantur in *actu primo*, & *ſecundo* cauſandi? & hoc quidem tam in fieri, quàm in facto eſſe?

2. Reſol. 1. *Cauſa materialis* benè definitur eſſe id, ex quo, tanquam ſubjecto, *intrinſecè* recipiente, aliquid fit: *cauſa* verò *formalis* deſcribi poteſt, eſſe id, ex quo, tanquam ex *actu*, *intrinſecè* informante, aliquid fit, ut ex jam modò, & alibi dictis conſtat.

3. Reſol. 2. *Cauſa materialis*, & *formalis*, poſitâ conditione, præviè ad cauſandum requiſitâ, per ſeipſas, & per proprias ſuas entitates proximè conſtituuntur in *actu primo* cauſandi.

Ratio eſt; Quia per id materia, & forma proximè conſtituuntur in *actu primo* cauſandi, per quod ſunt aptæ ad cauſandum: ſed, poſitâ conditione, præviè ad cauſandum requiſitâ, per ſeipſas, & per proprias ſuas entitates proximè ſunt aptæ ad cauſandum; ergò per ſeipſas, & per proprias ſuas entitates proximè conſtituuntur in *actu primo* cauſandi. *min. prob.* Quia tota, & proxima ratio cauſandi in materia eſt potentia receptiva, quæ non diſtinguitur à materia: & idem proportionaliter dicas de forma; ſicut enim materia per ſuam eſſentiam eſt potentia reſpectu formæ, ita forma per eſſentiam ſuam eſt actus materiæ.

Dixi:

Dixi: *positâ conditione &c.* hac enim absente, tam materia, quàm forma constituentur in *actu primo* causandi solum *remoto*, non *proximo*: conditio verò ad causandum necessaria est intima propinquitas, seu indistantia materiæ à forma, & econtrà, sicut applicatio agentis ad passum est conditio ad operandum necessaria: quantitas verò, aliæq; qualitates sunt conditiones necessariae, ut materia hanc potius, quàm aliam formam recipiat.

4. Resol. 3. Materia in fieri constituitur in *actu secundo* causandi per eductionem formæ, in *facto* esse verò per unionem, adeoque *causalitas* materiæ in fieri est ipsa generatio formæ, ut est eductio ex materia, hoc est, quatenus necessariò à materia pendet, & per seipsam materiæ conjungitur; sicut enim emanatio ab agente est actio, & *causalitas* agentis; ita passio, & eductio, seu generatio, ut essentialiter pendet à materia, est *causalitas* materiæ. Ejus verò *causalitas* in *facto* esse est ipsa unio formæ cum materia, seu immediata receptio formæ in materia; & idem ex opposito sentiendum de *causalitate* formæ; *causalitas* enim formæ in fieri est ipsa actuatio, seu informatio materiæ, in *facto* esse autem est ipsa unio materiæ ad formam &c. Vide Suarez *Disp.* 13. *Metaph. sect.* 8. & *Disp.* 15. *sect.* 6.

S

Quæ

§ Quæres : Quis sit effectus causa mate-
rialis, & formalis ?

Resp. 1. Effectus proximus, & immediatus
ut quo causa materialis est ipsa forma, vel
recepta tantum, ut anima rationalis, vel
simul educta, ut omnes reliquæ formæ
substantiales sublunares, quæ à materia,
tanquam à subjecto educationis, informa-
tionis, & sustentationis in fieri, esse, ope-
rari, & conservari dependent : effectus ve-
rò proximus, & immediatus ut quo causa formalis
est ipsa materia, ut per illam actuata, &
ad certam speciem entis determinata.

Resp. 2. Effectus remotus, & mediatuus de-
qui, ac ultimus materiæ, & formæ est to-
tum compositum, cujus una pars est ma-
teria, altera forma; utrâque enim princi-
paliter ordinatur ad esse rei : solum au-
tem compositum propriè habet esse; par-
tes enim non existunt, nisi ut quo, saltem
si sint materiales, ut jam alibi dictum.



Quæ.

Quæstio II.

Quid, & quotuplex sit Causa Idealis? & ad quod genus Causæ reduci debeat?

S U M M A R I A.

1. Dividitur causa formalis in intrinsecam, & extrinsecam. 2. Idea, & exemplar an idem sint? 3. Definitur idea, & singula definitionis particula explicantur. 4. Dividitur in formalem, & objectivam. 5. Ratio idea propriè, & principaliter soli objectivæ convenit, non formali. 6. Reducitur tum ad causam formalem, tum efficientem, & finalem.

PRænotand. 1. Causam formalem, de qua in præcedenti Quæstione dictum, aliam esse intrinsecam, & aliam extrinsecam. Intrinseca est, per quam res constituitur in suo esse specifico: Extrinseca verò est forma, ad cujus imitationem res constituitur in suo esse specifico. Illa dicitur forma per quam, hæc verò ad quam; ad hanc enim respiciens artifex operatur, quæ alio nomine idea, sive exemplar appellatur; quod enim græcè idea, hoc latinè forma, sive exemplar vocatur: ubi tamen

PRænotand. 2. Ideam, & exemplar, propriè

præ loquendo, idem non esse; si enim res aliqua corporea exterius obijciatur alicui potentia cognoscitivæ, & ad imitationem illius artifex operetur, dicitur *proprie exemplar*, quale communiter habere solent Pictores, Statuarij &c. & quale Moyse in monte à Deo propositum erat, ut juxta illud fabricaretur Arca: *inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*: hoc artifex non utitur *per se*, & absolute, sed *per accidens tantum*, & ad melius esse, ut nimirum eò facilius, & perfectius quamdam sibi in intellectu rei faciendæ similitudinem, & imaginem intelligibilem formet, quæ *proprie* dicitur *idea*, ad cujus imitationem opus intentum aggreditur, efficitque. His positis, sit

- 3 Resol. 1. *Idea (sive causa idealis) ex mente S. Augustini lib. 12. de Civit. Dei c. 25. & S. Thomæ de verit. q. 3. a. 5. bene definitur: Forma, ad cujus imitationem aliquid fit ex intentione, & directione agentis, determinantis sibi finem.*

Dicitur 1. *Forma*: quæ loco generis ponitur, & convenit cum alijs formis, *intrinsicè* videlicet, & efficiente, quarum illa vocatur *ex qua*, sive melius *per quam*, ut supra notatum; per illam enim constituitur totum: hæc verò à qua dicitur; ab hac enim effectus, ut ab agendi principio egreditur.

Di-

Dicitur 2. *Ad cujus imitationem &c.* quæ verba differentia loco ponuntur; sunt enim multæ formæ, quas aliæ non imitantur; nec enim formam ignis v. g. lapidis, aut arboris imitatur forma leonis &c.

Dicitur 3. *Ex intentione:* & ideò, quæ præter intentionem, & casu fiunt, *proprie ideata* dici non possunt: ut si Pictor v. g. de Julio Cæsare nihil cogitans, suis tamen cum lineamentis adumbraret; nam erit quidem opus tale vera Cæsaris imago, non tamen *ideatum*, ex defectu scilicet intentionis.

Dicitur 4. *Determinantis sibi finem:* unde licet ignis generet ignem sibi similem, & flores, vel folia in eadem arbore, vel hortu sibi simillima crescant, seque perfectissimè referant, ex defectu tamen cognitionis, fini necessariæ, non operantur secundum *ideam*: bruta quòque, sicut *proprie*, & *formaliter* non operantur propter finem, ut suo loco docebimus, ita nec *proprie* operantur per *ideam*.

4. Resol. 2. Dividitur *idea* in *formalem*, & *objectivam*. Formalis est ipsa cognitio rei faciendæ, ab intellectu producta; objectiva verò est ipsa res factibilis, seu imitabilis, ut per intellectum cognita; sic v. g. dum artifex in mente sibi quamdam *ideam* format exstruendæ domûs, ipse conceptus

est *idea formalis*, & dici potest *causa idealis* ut quo: ipsa verò domus, sic ab intellectu concepta, & per cognitionem repræsentata, est *idea objectiva*, & vocari potest *causa idealis* ut quod; hanc enim artifex imitatur.

5 Inferitur: Rationem *idea* propriè, & principaliter convenire soli *idea objectiva*, non *formali*.

Ratio est; Quia *idea* definitur, quòd sit forma, ad cuius imitationem aliquid fit &c. sed effectus, qui ab artifice producitur, non fit ad imitationem *idea formalis*, sed *objectiva*; nec enim artifex imitatur suam cognitionem, cum illam opere non exprimat, sed rem conceptu repræsentatam; ergo &c.

6 Resol. 3. *Idea*, sive *causa idealis* reducitur

1. Et propriè ad *causam formalem*, ut patet tum ex etymologia nominis; *idea* enim vox græca latinè *forma* dicitur, ut supra dictum: tum quia effectum, sive ideatum ad certam speciem entis determinat, non quidem intrinsecè componendo, sed extrinsecè, & *objectivè* artificem movendo, ut opus artefactum sit hujus potius, quàm alterius speciei.

2. Reducitur etiam ad *causam efficientem*: tum quia artificem dirigit ad opus efficiendum;

dum: tum quia per modum principij quo proximi complet ipsam causam efficientem; sicut ergò forma agentis naturalis, ut principium quo, pertinet ad causam efficientem, ita & forma agentis intellectualis: nam ita se habet idea operis ad artificem, sicut se habet forma naturalis ad agens naturale; ut enim agens naturale constituitur per formam, ita & agens artificiale per ideam.

3. Reduci etiam potest ad causam finalem, ut docet S. Thomas 3. cont. Gent. c. 19. ubi ait: *Ideatum est propter ideam, siquidem perfectio ideati, & exemplati est, ut assequatur similitudinem sui exemplaris.*

Quæstio III.

Quid, & quotuplex sit Causa efficiens? & quæ ejus causalitas?

S U M M A R I A.

1. Refertur, & exponitur definitio causæ efficientis ex Aristotele. 2. Recensentur variae divisiones causæ efficientis. 3. & 4. Ejus causalitas in actu primo tam radicalis, & remota, quàm proxima, & in actu secundo, quæ sit, ostenditur. 5. Diluitur obiectio.

1 **R**Esol. 1. *Causa efficiens* ab Aristotele 5. *Metaph. c. 2. & 2. Phys. c. 3. definitur id, unde principium primum est mutationis, & quietis: sive clariùs, & meliùs: est principium extrinsecum per se, à quo incipit realiter motus.*

Dicitur 1. *Principium*: quò convenit cum alijs *causis*, puta, *materiali*, *formali*, & *finali*, quæ æquè sunt principia, inter quæ tamen *efficiens* est dignitate primum, unde à nonnullis sola *efficiens causa* vocari solet; licèt enim *finalis* sit aliquando *entitativè* æquè nobilis, aut etiam nobilior *efficiente*: in ratione tamen *causæ* longè inferior est *efficiente*; hæc enim *realiter*, illa solum *intentionaliter*, & *objectivè* influit in effectum.

Dicitur 2. *Extrinsecum*: ut differat à *causa materiali*, & *formali*, quæ sunt principia *intrinseca* rerum naturalium.

Dicitur 3. *Per se*: ad removendas conditiones sine quibus non, & *causas* sol m *per accidens* in effectum influentes, ut suprà notatum.

Dicitur 4. *A quo incipit realiter motus*: per quas particulas differt à *causa finali*, propter quam aliquid fit, non à qua, & quæ ad operandum *intentionaliter*, non autem *realiter* influit, ut paulò antè, & alibi dictum.

2 **R**esol. 2. *Variæ sunt divisiones causa effici-*

efficientis, quarum præcipuas tantum dabitur. Itaque

1. Dividitur *causa efficiens* in *Primam*, seu *Increatam*, & *secundam*, sive *creatam*. *Causa Prima* est, quæ tam in essendo, quam in operando est omnino independens ab omni alio: *Causa secunda* verò est, quæ tum in essendo, tum in operando ab alia *causa*, videlicet *Primâ*, dependet.

2. Dividitur in *causam per se*, & *per accidens*. *Causa per se* est, à qua directè pender effectus secundum proprium illud esse, quod habet: quò modo Statuarius v.g. est *causa per se* statuæ, Pictor imaginis, Architectus ædificij &c. *Causa per accidens* est, quæ solum concomitanter se habet ad effectum, nec ullo modo ad productionem illius necessaria est, ut in exemplo Aristotelis *Medicus*, & *Musicus* ædificant *per accidens*; licet enim Architectus artis medicæ, aut musicæ peritus non esset, adhuc tamen verè ædificaret. Cæterum *causa per accidens*, ut supra notatum, *proprie*, & *strictè dicta causa* non est.

3. Dividitur in *principalem*, & *instrumentalem*. Prior est, quæ agit in virtute propria, sibi que assimilat effectum, ut homo, leo &c. respectu alterius hominis, leonis &c. Posterior est, quæ agit vel ut virtus, vel in virtute alterius, scilicet *causa*

principalis: illa dicitur *cauſa instrumentalis*, ſi-
 ve *instrumentum* ut quo, eſtq; accidens con-
 naturale ſuperadditum ſubſtantia: hæc ve-
 rò appellatur *instrumentum* ut quod, eſtque
 totum aliquod compoſitum; ſic v.g. ca-
 lor, frigus &c. quia operantur ut virtus
 alterius, ſcilicet ignis, aquæ &c. dicuntur
instrumentum ut quo: penicillus verò, ferra,
 malleus &c. quia operantur in virtute alte-
 rius, ſunt, & dicuntur *instrumentum* ut quod,
 & hæc ſibi non aſſimilant effectum, ſed
cauſæ principali, à qua etiam, ut agant,
 elevari debent per virtutem, in ſe deriva-
 tam, & receptam; nec ſufficit ſola aſſiſten-
 tia extrinſeca; per hanc enim instrumen-
 tum non immutatur, ſed manet, ut priùs,
 intrinſecè impotens ad producendum effe-
 ctum: ut verò *instrumentum*, modo jam
 dicto, elevari poſſit, præter virtutem, vel
tranſeunter (ut in instrumentis conjunctis,
 v.g. pennâ, penicillo reſpectu agentis ar-
 tificialis) vel *permanenter* (ut in instrumen-
 tis ſeparatis, v.g. ſemine, à flore decifo,
 reſpectu agentis naturalis) ſibi à *cauſa prin-*
cipali impreſſam, habere debet virtutem
 aliquam inchoatam ſibi propriam ad effe-
 ctum, ad quem elevatur, ut ex infrâ di-
 cendis patebit. Ad *cauſam instrumentalem*
 etiam reducitur *potentia obedientialis*, quæ
 nihil aliud eſt, quàm virtus, quâ creatura
 obe-

obedit Deo, ad recipiendum, vel producendum effectum sibi indebitum: unde alia est *activa*, alia *passiva*; illa est virtus producendi, hæc recipiendi effectus, seu formas naturæ viribus superiores: per illam anima rationalis v. g. elicit actus supernaturales fidei, spei, charitatis &c. per hanc verò recipit gratiam sanctificantem, unionem ad verbum &c. illa est limitata, & ad aliquos tantum effectus: hæc verò illimitata, & ad omnes effectus, adeò, ut ne quidem divinâ potentiâ satiari, & expleri possit; quò enim plus accipit, eo fit capacior. Vide S. Thom. eleganter 2. 2. q. 24. a. 7. & q. 29. de verit. a. 3.

4. Dividitur in *physicam*, & *moralem*. *Physica* est, quæ verè, & realiter influit in effectum, ut cum ignis aquam calefacit, aut pictor imaginem effingit. *Moralis* est, quæ quidem physicè, & realiter non influit in effectum, ita tamen se habet, ut juxta moralem æstimationem prudentium ei meritò impetetur, & adscribatur effectus: ita, qui rogat, qui consulit, qui præcipit, qui, cum potest, & tenetur impedire, non impedit v. g. furtum, homicidium, incendium &c. est, & dicitur *causa moralis* furci, homicidij, incendij, ab alio facti.

5. Dividitur in *universalem*, sive *superiorem*.

rem, quæ plures, & specie diversos effectus producere potest, quales sunt cæli, elementa &c. & *particularem*, sive *inferiorem*, quæ certæ, & determinatæ tantum alicujus speciei effectum producendi vim habet, ut v. g. leo, homo, & reliquæ omnes *causæ* sublunares.

6. Dividitur in *univocam*, & *aquivocam*. Illa producit effectum in natura sibi similem, & ejusdem secum speciei, ut homo hominem, ignis ignem &c. Hæc verò producit effectum in natura sibi dissimilem, & diversæ secum speciei, ut cum Deus producit Angelum, aut hominem &c. sol aurum, ferrum, animalia &c.

7. Dividitur in *necessariam*, & *liberam*. *Necessaria* est, quæ, positis omnibus ad agendum requisitis, non potest non agere, ciconia v. g. positis omnibus ad agendum requisitis, hoc est, instinctu, apprehensione naturali, & verni temporis adventu, non potest nidum non construere. *Libera* est, quæ, positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere, vel non agere, qualis est voluntas in homine.

8. Dividitur denique in *totalem*, & *partialem*, *subordinatam*, & *non subordinatam*, *mediatam*, & *immediatam*, quæ tamen divisiones tum ex jam supra dictis, tum ex ipsa notione terminorum facile intelliguntur.

Re-

- 3 *Resol. 3. Causa efficiens constituitur in actu primo causandi radicaliter, & remotè per formam substantialem, proximè verò, & immediatè per formam accidentalem, substantiæ superadditam.*

Ratio 1. Partis est; Quia, quod est principium essendi, est etiam principium operandi; operari enim sequitur esse: sed forma substantialis est principium essendi; ergò & operandi: atqui non est principium operandi proximum, & immediatum, ut ex infra dicendis suppono; ergò est principium operandi radicale, & remotum.

Ratio 2. Partis est experientia; quia nec ignis sine calore calefacit, nec anima sine potentia intellectiva intelligit, nec homo sine potentia visiva videt &c. ergò &c. Sed de his plura inferius.

- 4 *Resol. 4. Causalitas causæ efficientis est actio, proximè, & immediatè procedens à potentia accidentali operativa, remotè verò, & radicaliter à forma substantiali.*

Ratio est; Tum quia in illo consistit causalitas causæ efficientis, per quod formaliter constituitur ut actu causans; est enim actio, ut in Summulis dictum, actus agentis, ut agens est; ergò &c. Tum quia causalitas cujuslibet causæ illud dicitur, quò proximè, per se, ac intrinsecè attingitur effectus; causalitas enim est quasi via, & ten-

tendentia ad effectum: ſed per actionem proximè, per ſe, ac intrinſecè attingitur effectus, ut patet; ergò &c.

§ Dices: Per id non conſtituitur *cauſa in actu ſecundo*, quò ſublato, adhuc remanet ratio formalis *cauſa*: ſed, ſublata actione, adhuc remanet ratio formalis *cauſa efficiens*; ſublata enim actione generativâ, pater adhuc eſt *cauſa filij*, & viciffim filius effectus patris; ergò per actionem non conſtituitur *cauſa efficiens in actu ſecundo*.

Reſp. *Diſt. M.* Per id non conſtituitur &c. quò ſublato, adhuc remanet ratio formalis *cauſa quoad exercitium de præſenti*, *Conc. M.* adhuc remanet ratio formalis *cauſa quoad denominationem tantum de præterito*, *Neg. M. Diſt. min.* ſublata actione, adhuc remanet ratio formalis *cauſa efficiens quoad denominationem de præterito*, *Conc. min.* adhuc remanet &c. *quoad exercitium de præſenti*, *Neg. min.* Sublata enim actione generativâ, pater de facto non ampliùs influit in filium, & ideò nec de facto, & de præſenti eſt *cauſa filij*, ſed dicitur tantum, & denominatur talis ab influxu ejus jam præterito.